



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Duo Tractatus**

**Moneta, Giampietro**

**Marburg, 1628**

IV. De modo servando in solutine Decimarum Papalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)



excommunicatus; Secundo, an intrusus, nullumque  
 138 habens jus in beneficio; Tertio, † an successor in be-  
 neficio, vel præcessor, ejusve heredes teneantur ad sub-  
 sidium seu decimam Papalem. Verum ne longum fa-  
 ciam, remitto te ad ea, quæ in materia charitativi sub-  
 sidii de excommunicato tradiderunt *Bellenz. d. tract.  
 de charit. subsid. q. 33. Remig. de Gonn. q. 40. de intruso,  
 seu etiam de eo, qui sine culpa non possidet. Bellenz. q. 34.  
 Remig. q. 41. & 42. de successore. Bellenz. q. 51. Remig. q.  
 43. ubi id late & optime expediunt.*

QUÆRO QUARTO, De modo servando in solutio-  
 ne decimarum Papalium.

PRIMA CONCLUSIO. Regulariter non potest  
 139 † collector decimarum componere cum iis, qui solve-  
 re debent, de aliqua certa summa, nisi hoc specialiter  
 fit ei demandatum; *ita habetur in cit. extrav. un. Bonif.  
 VIII. quam nemo ad hoc allegavit, de decim. ad fin. vers.  
 illi quoque, inter commun. in hac verba, Illi quoque, qui  
 dubitati fuerant ad collectionem decime cum eis, qui  
 debent solvere decimam, de aliqua certa summa solven-  
 da, pro decima nequeunt convenire. Idem not. Bellenz.  
 d. tract. de charit. subsid. q. 48. num. 8. Remig. q. 46. nu. 2.*

140 Quod tamen declaratur primo, nisi etiam haberet †  
 generale mandatum cum libera, ut *ibid. Bellenz. &  
 Remig. adnotarunt per tex. in c. qui ad agendum, in si. de  
 procur. in 6. & l. mandato generi, ff. de procurat. cui ego  
 addo tex. sing. in l. procurator cui, ff. eod. Declaratur se-*

141 cundo, nisi haberet † generale mandatum ad exigen-  
 dum ubicunque locorum, vel saltem alicujus magnæ  
 provinciæ, eaque compositio tendere ad commodum  
 Papæ, seu Cameræ. *Illud Bellenz. d. n. 8. per text. in l. nam  
 & nocere, ff. de pact. & l. cum hi. §. eam transactionem, ff.  
 de transact. l. non eo minus, C. de transact. gl. in c. 1. ver-  
 bo, vacante, ne sed vac. facit & tex. in l. solutū, §. fin. cum  
 leg. sequenti, qua incipit vel universorum, ff. de pign. ad.  
 l. jusjurandum, quod ex conventionem, §. fin. ff. de iurejur.  
 & in l. adiles, la. 1. §. procuratoris, ff. de edil. edict. Quod*

142 idem fortius † dicendum esset in Camerario Papæ,  
 qui



qui est Præpositus, & quasi administrator bonorum Papalium temporalium, ut *ibid. tradit Bellenz. per opt. tex. in l. i. in princ. ff. de off. procur. Casar.* Princeps vero secularis, cui per Papam ad tempus concessæ fuerunt decimæ beneficiorum sui dominii, *juxta text. in clem. fin. & ibi gloss. & Doctor. de decim. licite potest* † 143 † componere super decima cum beneficiatis; *ita Bellenz. d. q. 48. nu. 10. quod etiam ante eum docuit Paul. d. clem. fin. & ibi Card. q. 5.*

SECUNDA CONCLUSIO. Quoad distributionē oneris decimæ inter beneficiatos non exemptos mihi videtur † ita distinguendum; aut enim imposita fuit † 144 † decima, seu plures decimæ super vero valore beneficiorum, non obstante quacunque taxa; aut sumus in casu, quo taxa servanda est *juxta ea, quæ dicemus in sequen. conclusione.* Primo casu, siquidem † nulla compositio † 145 † super inde fiat cum Camera Apostolica, singuli tot decimas solvere debebunt Collectori de vero valore reddituum suorum beneficiorum, quot impositæ fuerunt; solventium tamen decimam, electioni, seu arbitrio committetur, utrum ipsam velint solvere per totum tempus, quo durabit decima pro rata proventuum, quos singulis annis dicti temporis ipsos percipere contigerit, an per ipsum tempus pro rata communis æstimationis proventuum eorundem; sed una via electa non licebit alicui variare ad aliam recurrendo; fierique & redigetur per Collectores in scriptis electio hujusmodi *expresse* in prima solutione decimæ supradictæ; alioquin *juxta* æstimationem communem per totum tempus solvere tenebuntur; Illi autē qui elegerint solvere decimam, pro rata eorum, quæ perceperint annuatim, vendere debent proventus beneficiorum suorum, quæ personalem residentiam non requirunt, & solvent decimam pro solo pretio, quod receperint de eisdem, dum tamen in fraudem decimæ nihil agatur: Quæ quidem moderatio, ac declaratio ad verbum habetur *in d. extrav. unic. circa princip. vers. solventium decimam, cum sequenti, qui incipit, Declaramus autem.*  
Rursus,



Rursus si compositio aliqua facta est cum Camera in certa summa, ad ratam veri valoris cujusque beneficii in singulos eadem summa erit distribuenda. Secundo vero casu, ubi servanda sit aliqua taxa, & ad sit similis compositio, tunc si ve ea præscripta sit, si ve non, dummodo sit rationalis, in singulos quoque beneficiarios ad ratam ejus, quod in taxa descriptum est, summa conventa dividenda erit, prout nuperrime factum est in compositione diœcesis Mediolanensis super decima imposita per S. D. N. Clem. VIII. Si autem nulla ad sit compositio, solvere quisque debet decimas impositas, juxta legitimam, consuetam, & præscriptam ratam, cum tunc agatur de præjudicio Camera Apostolicæ, de qua taxa latius dicam *in 4 conclus.* Quod 146 vero regulariter † ad ratam beneficii solvi debeat decima, probatur ex l. *rescripto*, ff. *de muner. & honor.* ex qua not. Bart. *in l. 4. §. actor. num. 4 ff. de re jud.* in dubio collectam imponi pro juribus patrimonii; quod idem not. Bald. ad id allegans alia jura *in l. etiam, colum. pen. & fin. C. de execut. rei judic.* Est autem decima Papalis onus mere patrimoniale, ut tradit Bart. *in l. placet, nu. 11. C. de sacros. eccles. faciunt & opt. text. in c. sopita, & c. cum instantia, de cens.* per quæ jura gloss. post alios *in c. cupientes, §. ad hac, verbo, discreta, de elect. in 6.* distinguens de triplici genere expensarum; dicit, quod in expensis, quæ fiunt in causis vel negotiis, generaliter ad totam ecclesiam pertinentibus, fit contributio secundum facultates, ut qui plus habet, plus solvat; pro quo etiam alia quædam similia adducit, quæ multum non urgent.

TERTIA CONCLUSIO. Decimæ Papalis solutio 147 † fieri debet, non ex ipsis rebus, quæ percipiuntur de proventibus, puta in vino, grano, &c. sed in pecunia numerata; ita expressis verbis disponitur *in d. extravag. unic. vers. fiet autem solutio, idq; etiam adnotavit gloss. d. clem. fin. verbo monetam, & ibi alii, de decim. Bellenz. d. tract. de charit. subsid. quæst. 83.* Exhiberi autem non 148 debet decima, nisi in pecunia, quæ communiter † currat



currat de mandato domini terræ, & quæ est moneta  
in locis, in quibus consistit fructus, & redditus, unde  
decima persolveretur; neque aliqui cogi debent † eam <sup>149</sup>  
pecuniam cambire, seu permutare; ita quoque decer-  
nitur in ead. extrav. vers. pro decima, & not. Doct. com-  
muniter d. clem. fin. Quid autem dicendum sit, si duæ  
monetæ pariter † currant in loco communiter, alte- <sup>150</sup>  
rave magis; aut si post tempus taxationis, vel dati pri-  
vilegii minoretur, aut alias mutetur, quomodo facien-  
da sit solutio; & de aliis similibus quæstionibus, quo-  
niam non ita necessariæ, & quotidianæ sunt, remitto  
te ad not. per gloss. & Doct. maxime vero Card. Imol.  
& Anch. d. clem. fin. de decim. Bellenz. d. tract. q. 84. 86.  
& 87. & Doct. quos ii allegant, & Ant. Gabr. com. concl.  
lib. 3. tit. de solut. concl. 1. & seqq.

QUARTA CONCLUSIO. Quamvis nulla taxa  
† attendi debeat in solutione decimæ, ubi Papa eam <sup>151</sup>  
imponit, & exigere expresse vult non attenda ulla taxa,  
etiam consueta, & legitime præscripta, tum quod de-  
cima hæc intelligitur habito respectu ad veram quan-  
tatem fructuum, ut inter ceteros docet Bellenz. d. tract.  
q. 82. num. 9. tum propter plenam, & absolutam pote-  
statem, quam habet summus Pontifex in beneficiali-  
bus, de qua per tex. & Doct. in c. 2. de præbend. in 6. Ant.  
Gabr. com. concl. lib. 3. tit. de jur. quas. non toll. concl. 1.  
nu. 9. latissime Petr. Cened. in Collect. ad jus can. collect.  
21. numero 1. 3. par. attamen, ubi simpliciter imponitur  
decima super beneficii, eorumve redditibus, & fructi-  
bus, tunc † attendi potest, ac debet taxa beneficiorum <sup>152</sup>  
consueta in partibus, ut habetur in clem. fin. de benef.  
quæ licet vere loquatur solum in decimis beneficio-  
rum, quæ aliis conceduntur, nihilominus Doctor. ibi  
communiter eam etiam intelligunt in decimis, quæ  
per Papam exiguntur. Imo id quoque aperte colligi-  
tur ex ipso text. dum dicit, secundum taxationem de-  
cima in illis partibus consuetam, communiter illa deci-  
ma levari poterit, & debet; supponitur enim esse taxa  
aliqua in partibus, qua servetur in exactione decima,  
que

que



- qua per summum Pontificem exigitur; quod idem habetur in extrav. postulasti, de prabend. & dig. in commun. ibi, super fructibus beneficiorum, qua ita reperies in solutione decima, juxta verum taxata valorem, &c. nec non in extrav. Io. 2. 2. qua incipit suscepti, de elect. qua ferre ad verbum repetita est sub tit. ne sed vac. & pariter incipit suscepti, in extrav. un. inter commun. vers. nos de illo, ibi, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consuevit in decima solutione taxari, &c. Dicitur autem † haec taxa consueca, quae est legitime praescripta per 40. annos, ut not. gloss. d. clem. fi. in verbo, consuetam, quam ibi sequuntur Doct. communiter, alia gloss. quam nemo allegavit in d. extrav. suscepti, vers. nos de illo, in ver. consuevit. sub tit. ne sed. vac. in commun. eandem sententiam sequitur communem eam dicens Bellenz. d. tract. q. 82. num. 8. & 13. pro qua etiam est optimus tex. in c. cum de beneficio, de praben. in 6. ubi consuetum dicitur, ubi legitima praescriptio est completa; legitima autem praescriptio
- 154 † in rebus ecclesiasticis est quadragenaria, ut patet ex c. dilecto, & c. ult. de consuet. c. cumana, de elect. c. cum ecclesia, de caus. possess. & propr. juncto cap. de quaris, & c. ad aures, de praescript. & ubiq; per Doct. Et ratio etiam ejus sententiae esse potest, siue quia consuetudo haec fit contra jus, quoniam de jure decima solvi debeat, habito respectu ad veram quantitatem fructuum, ac reddituum, ut dictum est; ideoque consuetudo, quod stetur taxationi praecise non attento valore fructuum, & eorum quantitate, satis possit dici contra jus commune, atque adeo requiratur in ea tempus 40. annorum, juxta text. cum ibi not. per Doct. communiter in c. fin. de consuet. siue quia haec consuetudo, licet non sit contra jus, tamen tangat jus ecclesiarum, earumque
- 155 bona, ideoque requiratur † spatium 40. annorum, juxta sing. Rot. Rom. decis. qua est 6. de consuet. in no. Innoc. in c. cum dilectus, ad fin. de consue. & ibi Host. & Io. An. cum alius adductus per Bellenz. d. q. 82. num. 6. & laius per nos in tract. de Option. c. 2. q. 2. num. 9. Quod vero
- agatur



agatur de præjudicio ecclesiarum patet: aut enim taxa  
 excedit verum annum valorem, prout contingere  
 potest propter decreſcentiam, ac diminutionem fru-  
 ctuum ex alluvione aliqua partis bonorum, aut simili  
 caſu; vel de hoc etiam dubitatur, & tunc agitur de præ-  
 judicio illarum ſingularum eccleſiarum: aut taxa non  
 attingit verum annum valorem, ſed ab eo longe di-  
 ſtat, quia valde excreverint fructus, quoniam ex allu-  
 vione pars bonorum, & fundi acceſſerit, ſimilive de  
 cauſa; & tunc agitur de præjudicio Camera Apoſtoli-  
 cæ. Sed quia de modico † præjudicio eccleſiæ Romanæ 156  
 agitur, minusque principaliter, cum neque de perpe-  
 tuo jure illius agatur, & ut plurimum ad opem Chri-  
 ſtianis Principibus ferendam imponatur; ideo non re-  
 quireretur centenaria præſcriptio, *juxta ea, qua late tra-*  
*dit Didac. Covar. relect. reg. Poſſeſſor, 2. par. §. 2. n. 6. de*  
*reg. jur. in 6. cum alioqui contra Romanam eccleſiam*  
*centenaria præſcriptio requiritur, cum de ejus juribus*  
*præſcribendis agitur, Auth. quas actiones, C. de ſacroſ.*  
*eccl. c. ad audientiam, & c. cum nobis de præſcript. cum*  
*ibi not. per Doct.* Illud ergo expeditum ſit, † taxam niſi 157  
 præſcripta ſit 40. neque beneficiatis neque Camera  
 præjudicare; ubi vero taxatio non eſſet obſervata ſpa-  
 tio 40. annorum dicunt Doct. in illa clem. fin. *de de-*  
*cim.* quod collector non teneretur ſtare illi taxæ, ſed  
 poſſet exigere decimam, ſecundum verum valorem be-  
 neficiorum; quibus tandem accedit Bellenz. *d. q. 82. n.*  
*14. ubi num. 11. idem jure optimo ſtatuit in beneficia-*  
*tis, quod neque ipſi illi taxæ teneantur ſtare, ſed poſ-*  
*ſint, ſi velint, ſolvere ſecundum verum valorem, ut æ-*  
*qualitas ſervetur, c. 2. de mut. pet. & c. cum inter, de ex-*  
*cept. & tot. tit. ff. quod quiſq; jur. cum ſimilib. idq; ſatis*  
*aperte tenet gloſſ. d. clem. fin. verbo, taxationem, de de-*  
*cim. quam ſequitur inter alios Gig. tractat. de penſion. q.*  
*62. nu. 13.* Difficultas vero non levis eſt, utrum unicus  
 actus ſolutionis ſufficiat, poſt quem tranſacti fuerint  
 40. anni, an vero plures requirantur? Et quidem Bel-  
 lenz. *d. q. 82. num. 12. & duobus ſeqq. aperte tenere vide-*  
 tur,

tur,



- tur, quod non sufficiat unicus per tex. *in c. olim, de cen-*  
*si. ubi inquit, in solutione census non attenditur ulti-*  
*ma prestatio, sed quod fuit observatum spatio 40. an-*  
*norum; quod etiam ex eo confirmari potest, quod con-*  
 158 *suetudo* † regulariter per unicum actum non induci-  
 tur, l. 1. & 2. C. *quæ sit long. consuet. cum aliis per nos ad-*  
*ductus in d. tract. de Opt. c. 2. q. 2. num. 30. & consuetum*  
 159 *in pluribus juribus* † verificari voluit Roch. Curt. *adit.*  
*de consuet. in prefat. numero 32. & 34. post Bart. in l. 1. C.*  
*quom. & quan. jud. & per tex. d. l. 1. & l. 3. C. de Epis. aud.*  
 160 *Contrarium tamen* † ego puto verius, tum per ea quæ  
 ipse Bellen. arguendo adducit, neque solvit, nimirum  
 per tex. *in l. mella, § sed si alimenta. ff. de alimen. & cib.*  
*leg. l. si mulier, in princ. ff. de relig. & sumpt. funer. ubi in-*  
 161 † *solutione, aliisque in rebus attenditur, quod ultim-*  
*est observatum; & per id, quod not. Bal. in l. binos, ver-*  
*sed ponamus, C. de advoc. divers. jud. ubi ait, quod si of-*  
*ficiali promissum fuit salarium consuetum, & reper-*  
*tur, quod vario modo præteritis temporibus fuit so-*  
*lutum, intelligitur promissio de salario, quod ultim-*  
*loco fuit solutum officiali; tum quod quisque manute-*  
 162 *nendus est* † *in sua possessione, c. consultationibus, de*  
 163 *jure patr. & c. cum olim, de ca. possess. & propr. & tunc* †  
 unicus actus præjudicat, per ea quæ tradit Curt. *c. su-*  
*sect. 4. num. 79. 81. & 82. ex nuper impressis, de consuet.*  
*rum ex auctoritate Rot. Rom. in decis. 44. de concess.*  
*prebend. alias 66. in antiq. & incip. nota, quod ubi bene-*  
 164 *ficiū, ubi not. quod* † si beneficium est semel taxatum  
 per illos, qui potestatem taxandi habent, ex tali taxa-  
 tione beneficium videtur taxatum, nisi aliquis actus  
 interveniat contrarius taxationi; & posito quod per  
 multos annos steterit, quod decima pro illo beneficio  
 soluta non fuerit, nisi pro illa vice, pro qua fuerit taxa-  
 tum, non ideo minus vires habet taxatio semel facta,  
 quia si postea Papa non indiguit decimis, non propter  
 hoc videtur remisisse, quin taxatio prius facta valeat,  
*arg. l. in filiis, C. de decur. lib. 10. Hæc sunt verba Rotæ,*  
 ex quibus colligit Bellen. *loc. cit. eam sentire, quemli-*  
 bet



bet actum ultimum taxationis intra 40. annos atten-  
 dendum esse; sed ego potius eam intelligo de actu uni-  
 co, post quem transacti deinde sint multi anni, hoc est  
 44. absque ullo actu contrario, ne adversetur commu-  
 ni sententię. Quę etiam tam Rotę, quam nostra opi-  
 nio contra Bellen. optime comprobatur ex *tex. in d. c.*  
*cum de beneficio, in primo respons. de præbend. in 6.* ubi  
 inquit Bonif. VIII. cum de beneficio ecclesiastico con-  
 sucto clericis secularibus assignari, provideri manda-  
 tur, de illo debet † intelligi, quod tanto tempore ab 165  
 uno, vel pluribus secularibus clericis institutis in eo  
 rectoribus extitit continue, ac pacifice gubernatum,  
 ut præscriptio legitima (hoc est 40. annorum, *ut ibi ex-*  
*ponit gloss. Archid. & alii*) sit completa, per quem text.  
 tum *ibi*, tum *in c. si de consuet. not. Doct. communiter,*  
 ex unico actu successivo † cōsuetudinem induci, quos 166  
 etiam refert, & sequitur Curt. *d. sect. 4. num. 43. & 83.*  
 Quomodo etiam solvuntur contraria, quę procedunt  
 aut in actu momentaneo, aut ubi postea non accesserit  
 spatium 40. annorū, cum pacifica possessione, pro-  
 ut in casu nostro. Ceterum quoniam, ubi beneficium  
 aliquod, vel etiam pleraque, aut omnia taxata non  
 sint, taxatio † de novo faciendā est, ut concludunt Do- 167  
 ctōres communiter *d. clem. fin.* quos etiam sequitur  
 Bellen. *d. tract. de charit. subsid. q. 80. in princip.* Ea fiet † 168  
 hoc modo; Ille enim ad quem spectat fructuum bene-  
 ficii perceptio, ac decimę solutio, jurabit, quantum  
 valere possint fructus illius anni, & stabitur ejus jura-  
 mento, nisi probari possit major valor reddituum, &  
 postea fiet taxatio; & hoc casu juramentum præcedet  
 taxationem, cum alioqui taxatio † præcedat juramen- 169  
 tū. *c. super eo, de hi, qua vi, metu sive ca. fi. Ita Guiliel. de*  
*monte Laud. quem ibi sequitur Imol. num. 9. Card. q. 1.*  
*& alii, sive quia hic juret ut testis, d. autem c. super eo,*  
 ut principalis, prout voluit Card. *loc. cit. quem tamen re-*  
 fellit Bellenz. *d. q. 80. numero 5. sive quia communis est*  
 Doct. sententia, quod quando non est præstandum ju-  
 ramentum affectionis, sed veritatis, prout hic super ve-  
 ritate



ritate quantitatis fructuum annuorum, semper juramentum debet præcedere taxationem, quia alias detegeretur verecundia, & turpitudine jurantis, cujus juramento lex voluit stari, prout voluit gloss. *in c. i. verbo docuerit, de elect. in 6. Bart. Auth. hodie per illū textum, C. de jud. cum aliis plerisque, quos refert, licet discutere videatur Bellenz. d. num. 5. nisi velimus cum eodem Bellenz. nu. 6. requirere, seu admittere duplicem taxationem, ita ut una præcedat, altera sequatur juramentum, per ea, quæ late deducit Bellam. decis. 721. quæ incipit, ad estimationem injuriæ, contraria tamen servatatione, ut sicut ibi vult, à judice taxandam prius esse summam, citra quam juret offensus de damno; ita hic collector taxet summam verisimilem reddituum, deinde deferat beneficiato, ab eoq; recipiat juramentum, quæ summa seu quantitas reddituum ultra illam percipiatur ex beneficio; postmodum eam quantitatem ad certam pecuniæ summam redigat, eamq; taxet pro solvenda decima. Ad prædictam autem taxationem*

- 170 † vocandi sunt omnes, quos taxatio tangit, ut optime adnotavit Bellenz. *d. tract. q. 81.* ubi etiam post Laud. Imol. & Card. *d. clem. fin. q. 10.* infert, quod si duo sunt Prælati in aliqua ecclesia parochiali, ut Rector, & vicarius, qui ex antiqua ordinatione ecclesiæ colligit omnes fructus, de quibus annuatim solvuntur Rectori centum, residuum remanet vicario, ipse vero Rector debet solvere decimam pro rota ecclesia, fieri debet taxatio, cum eo, qui colligit fructus vocato eo, qui
- 171 solvere debet decimam. Poterit autem collector † hujusmodi beneficia taxare, quæ non reperit taxata, absq; speciali mandato, ut late, & optime comprobatur Bellenz. *d. tract. q. 85. per totum.* Atque hæc de hac conclusione.

- QUINTA CONCLUSIO. Potest is, qui solvere debet decimam Papalem, objicere † exceptionem compensationis de eo, quod sibi debetur à Camera Apostolica; ita Bellenz. *d. tract. q. 53. per tex. in l. idem juris.*
- 173 & *l. fin. ff. de compens.* ubi etiam Fisco † objicitur compensa-



pensatio, dum tamen debitum sit ex eadem statione, non diversa, ad vitandam confusionem officiorum, *l. 1. ubi Bald. & ceteri, C. de compens.* debet autem de huiusmodi debito Camerae fieri fides infra duos menses, *juxta l. auferatur, §. quia compensationem ff. de jur. fisc. & l. fin. juncta gloss. in ver. indaginem, C. de compensation.* nisi tamen iudex breviorum terminum statueret ad probandum, quod facere posset, *ut post Bald. in ea C. de compensat. in his terminis tradit Bellenz. d. q. 53. numero 1.*

**SIXTA CONCLUSIO.** Decimæ solutio facienda est † sine ulla deductione aris alieni; ita expresse definitur *in alleg. extrav. un. vers. ratione autem, de decim.* 174 in hæc verba; *ratione autem aris alieni, quo persona solvens decimam obligata consistit, nihil de decima minuetur, etiam si certa res ecclesiastica propter hoc à quoquam fuerint obligata.* Idem etiam sentit Bellenz. *d. tractat. de charit. subsid. q. 62.* quam totam ad verbum refert non dissentiens Remig. de Gonn. *in simil. tractat. q. 53.* dum tradit, quod si Episcopus nomine proprio, vel collector nomine Papæ exigat subsidium charitativum à subditis beneficiatis, & eodē tempore concurrant creditores clerici, petens subsidium debet præferri creditoribus, quoniam ante omnia solvi debet † census superioris, *secundum Io. An. Butr. & alios in c. eam te, de at. & qual. ord. & Archid. in c. cum singula, circa medium, de prob. & in 6. & per alia, de quib. per Bellenz. loc. cit.* 175

**SEPTIMA CONCLUSIO.** Expensæ † necessariae, 176 quæ fiunt gratia colligendorum fructuum, deducendæ sunt in solutione decimarum: ita habetur *in d. extrav. versicul. in solvendo decimam, cujus sunt hæc verba, in solvendo decimam supradictam sola expensæ necessaria, quæ fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur arando, colendo, & colligendo fructus, sine quibus non possunt inde fructus percipi deducuntur; idem not. gloss. d. clem. fin. in verbo taxationem, & ibi Imol. num. 9. Card. quest. 5. & ceteri, Butr. post Doct. in c. cum homines, de decim. Bellenz. d. tract. q. 69. Gig. in tract. de pens. q. 62. num. 14.*



- Tiraq. de retract. lignag. §. 15. gloss. 1. nu. 15. Rebus. consil.*
- 177 125. num. 8. Expensæ autem, quæ fiunt † in castrorum  
custodibus, etiam si majores sint solito, cum fiant ex-  
tra rem, vel etiam in ædificiis construendis vel conser-  
178 vandis, nullatenus deducuntur; sicut † nec illæ, quæ  
in villis tuendis fierent in guerris, seu etiam cavale-  
tis, ut verbis urar Bonifacii, qui id omne statuit, ac de-  
claravit *in d. extrav. unic. vers. expensa autem, circa me-*  
179 *dium, & vers. nec etiam illa, ad finem.* Illæ quoque †  
expensæ, quæ fiunt pro fossatis ( ut loquitur, & decer-  
nit Pontifex *d. extrav. versic. Illa quoque, expensa* ) & alias  
pro terris ædificandis, ut uberiores fructus producant,  
& illæ, quæ fiunt in conservandis, & reparandis ædifi-  
ciis molendinorum, domorum, seu apothecarum, &  
similium, ex quibus fructus, & pensiones recipiuntur,  
& nisi reparentur, fructus ex eis percipi non valent,  
de decima minime deducuntur; hucusque Bonifacius  
Qui quidem in ea extrav. nonnulla alia decernit, ac  
180 statuit † circa expensas deducendas, aut non dedu-  
cendas, quæ nos *superius, hoc ipso cap. quæst. 2. conclus. 2.*  
*& sequentib. suis locis apposuimus, dum ea recensere-*  
mus, ex quibus solvuntur decimæ istæ Papales. Atque  
hæc de hac quæstione sufficiant.

QUÆRO QUINTO, ET POSTREMO. *De modo procedendi circa harum decimarum exactionem.*

- PRIMA CONCLUSIO sit de qualitate collectorum.
- 181 ris. Collector Papæ † judex est delegatus, & habet ju-  
risdictionem; *ita tenuit Rot. Rom. decis. 12. de præb. alias*  
*207. incipit, licet juxta ordinationem, in nov. & post eam,*  
*licet perperam allegatam, Bellen. d. tract. de char. sub. q.*  
*94. quamvis eadem Rot. decis. 9. de off. deleg. in nov. ali-*  
*ter sensisse videatur, dum eum appellat negotiorum ge-*  
*storem.* Probatum autem nostra conclusio; Primo, quia  
182 etiam procurator Fisci utitur † jurisdictione, & officio  
judicandi, *l. 1. & 2. & l. cum vendente, C. ubi ca. fisci, &*  
*si ea quæstio, C. de his, qui ut indig.* Secundo, quia vide-  
183 mus collectorem ex stylo curiæ ( qui quidem † atten-  
dendus est, *c. quod translationem, de off. deleg. cum si-*  
*mil.)*